

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.



1652.

1. Blumenthal, Christophorus (opus), lib. 6. de: Tutelis
2. Carpzov, Benedictus: De modo perveniendi ad imperium Imperatoris Romanorum - Germanici
3. Carpzov, Benedictus: De jure vectigalium.
4. Schacher, Amicus: De repressaliis
5. Schacher, Amicus: Navigatio ad Romanos. asuarum nomine.
6. Wirth, Polycarpus: De poenitentia in factis circa jus versantibus
7. Wirth, Polycarpus: De usuris.
- 8/1653 Wirth, Polycarpus: De infantici Diis.
1. Schult, Amicus: De Tutela materna
2. Lichtner, Johann Christophorus: Historia 2<sup>a</sup> V<sup>o</sup> V<sup>o</sup> S<sup>o</sup> S<sup>o</sup> S<sup>o</sup> S<sup>o</sup> S<sup>o</sup> gentilitiae.
3. Schacher, Amicus: De pactis Romanis.

1653.

4. Schacher, Amstelredamensis : De usurariis bus.
5. Schwendendaeffer, Georgius Tubicus : De adulterio, quatenus probatum iuxta ac legitima divortii causa est.
6. Schwendendaeffer, Georgius Tubicus : De pactis
7. Schwendendaeffer, Georgius Tubicus : De transactionibus

1654.

1. Schwendendaeffer, Georgius Tubicus : De fidei, circa processum observando.
2. Schacher, Amstelredamensis : De pollitione

1655

1. Born, Johannes, procancelarius, fac. jur. : Pro-  
gramma, quo (ad actum sollemne Nicolai Crenselii)  
Andreas Brummer et. reg. . . . innotat.
2. Brummer, Amstelredamensis : De hereditatione liberorum

1688.

3. Creuzel, Nicolaus: De appellatione
4. Hornigstus, Paulus: De una plurium obligatione.
5. Maccius, Petrus: De latrone
6. Oheim, Johann Philippus: De iurejurando.
7. Philippi, Johannes: De solutione
8. Rysel, Johann Jacobus, a.: De iure patrio
9. Schacher, Ausricus: Selectores de iuris actione  
questiones
10. Schacher, Ausricus: De remedio in integrum  
restitutiois ob dolum malum.
11. Schacher, Ausricus: De immutatione donationis
12. Schacher, Ausricus: De legitima patria liberorum
13. Schabacher, Christianus: De infirmitate pœnalis
14. Stendelverffer, Bartholomæus Leonhardus: De permutatione
15. Waller, Philippus Adelphi: De inquisitione

163.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Partial view of another page or binding edge with some visible characters like 'D' and 'B'.]*





DISPUTATIO JURIDICA

XXII.

De

331.

PACTIS ROMANIS

AM

Quam

1653, 3

Quæsitâ sapientiâ Divinâ

ex permisso

Facultatis Juridicæ Lipsiensis Nobilissimæ

sub clypeo

VIRI

Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimiq̃

DOMINI

QVIRINI Schachers/ Ph. & J.

U. D. Consilarii Electoris Saxonæ, Judici Ap-

pellationum Dresdensis, Consistorii Ecclesiastici

Lipsiensis, ut & Curia provincialis superioris

in Margraviatu Interioris Lusatia

Assessoris, & Juridicæ Facul-

tatis Senioris,

pro virili defendet

JOHANNES Burge

Homburg. Weteranus

Domini Præsidis ex amita nepos,

Ad diem Decembr.

Anno M. D. C. LIII.

LIPSIÆ.

Typis QVIRINI Bauchs!

H. 14.

17

710



ILLUSTRISSIMI ac CELSISSIMI PRINCIPIS  
ac DOMINI,  
WILHELMI CHRISTOPHORI,  
Hassia Landgravii &c.

*Domini sui Clementissimi*

Cancellario gravissimo

V I R O

*Nobili, Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo,*

DN. THEODORO *Fuhrlohn*  
J. U. Doctore celeberrimo

UT ET

V I R O

*Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo,*

DN. JOHANNI HEINRICO *Fuhrlohn*  
J. Cto & Advocato apud Francofurtenses ad Moen-  
num famigeratissimo,

*Dominis, Patronis ac Promotoribus suis  
aeternum colendis*

Exercitium hoc Academicum in debita gratitudinis  
ac observantiae Symbolum

*offert & dedicat*

JOHANNES *Burgk*  
*Auth Respond.*

Quæsitâ sapientiâ divinâ:

**Q**uod non rarò accidit picturis & imaginibus, quas manus Parrhasiana quandoque elegantiores & ad vivum convenientiores exprimere satagunt, ut planè à forma naturali & genuina declinent, nec quicquam simile aut conforme archetypo retineant, id certò de pactis asserere haud veremur, quæ quò plures manus correctrices habuerunt, eò longiùs ab idea sua nativa secesserunt.

II. Vix Romani tempore antiquæ & mediæ Jurisprudentiæ viventes, Præprimis verò prætores in edictis suis efformarunt pactorum faciem, toti quæ populo Romano, quæ rata & servata voluerunt, stiterunt; ecce Icti circa tempora Jurisprudentiæ novæ, sub Hadriano & reliquis Imperatoribus usque ad Gordianum, præter propter degentes, ad cunas quasi magno numero accurrerunt, certatimque penicillis suis pusionem hunc affabrè depingere voluerunt.

III. Ipsorum autem picturas non fuisse uniformes, passim ex illis floribus de pactis, ex quorum scriptis ff. consarcinata, constat.

IV. Reprehendit Marcianus Julianum, & quidem judice Ulpiano rectè, prout apparet ex *l. juris gentium 7. §. sed etsi 2. ff. b. t.*

V. Idem Ulpianus ter ductum Pomponii approbat in *d. l. 7. §. adeò autem 6.*

VI. Noluit Ulpianus prædictus in quæstione relata *d. l. 7. §. si paciscar 14.* negantibus ad stipulari, sed commendavit Labeanem distinguentem.

VII. Vindius in casu *d. l. 7. §. Sed si servus 18.* quid statuerit, ibidem quidem recenset Ulpianus, sed opinionem Marcelli contrariam veram putat.

▲ 3

VIII. Sub-

VIII. Subdubium primitus Marcellum fuisse in proposita factis specie, *d. l. 7. §. 18. vers. sed an. ex d. vers. apparet.*

IX. Suo tempore quid Ulpianus observaverit, circa pactionem à filio vivo patre cum creditoribus paternis initam memorat, *d. l. 7. §. fin. & l. 8. & 9.*

X. Concordes fuisse Sabinum, Julianum, Trebatium & alios plerosque in casu *l. rescriptum 10. §. 1. ex eod. §. videre licet.*

XI. Habuisse altercationes invicem Ictos de virtute pacti conventi inter emptorem & venditorem, ex *l. si tibi 17. §. pactum* §. ibi secundum plurimum sententiam, item, & hoc juvenos uti Pomponius scribit, secundum sententiam autem Sabini, h. t. in pro patulo est.

XII. A plerisque reputatum, si possessor hereditatis alienæ pactus sit, heredi, si evicerit, neque nocere neque prodesse asserit. Paulus in *l. si tibi decem 17. §. cum possess. 6. b. 1.*

XIII. Consensit Paulus cum Neratio, Atilicino, Proculo & Labeone in *l. si unus 27. in pr. b. 1.* nec dubium quod dubitaverint. Miramur autem valdè, quò factum, quod nullus Ictus tum temporis vivens peculiarè ediderit libellum de pactis, cum tamè duo millia librorum extiterint, ex quibus ff. cõpilata: Itè quare de pactis & transactionibus nihil speciatim egerit Justinianus in suis Institutionibus.

XIV. Hisce delineamentis infantia ac pueritia jactis ac adumbratis, & reliquorum Imp. à Gordiano usque ad Imp. Justinianum inclusivè, viventium manus, demonstraturæ quasi adolescentiam pactorum, quas nobis exhibent *l. pactum 15. cum l. seqq. usq. ad fin. C. de pactis*, supervenere.

XV. Et hujus faciei schema ad archetypum depictum unà cum suis operationibus, virtutibus & efficaciam censuræ & iudiciorum publico hac vice subicere volumus, simul successu temporis demonstrantes, quomodo post Jurisprudentiam Justinianeam novam lustro centenniali peracto, ubi II. seculo post natum Christum sub Lothario Imperatore, anno Christi 1150. Jus civile iterum in publicam lucem protrahum, ab Interpretibus Juris Civilis, singulis dehinc sequentibus 6. seculis, à nato Christo undecimo, usque ad præsens 7. sive 17. adeò deturpatum, & planè alienis coloribus effectum, ut vix sceleton aut rudimenta supersint.

XVI. Rectè & ritè autem ut lineas ducamus, sciagraphias loco nonnulla generalia, quæ faciem specialibus non minimam præbe-

præbere solent, & instar pegmatis esse possunt, præmittemus.

XVII. Locum nativitatis quidem 1. ubi præsciendum, pacta esse de genere ζωων amphibiorum, quæ partim in terris Juris publici, partim in pelago Juris privati nascuntur, adeoq; duplicem habent formam & naturam, multis modis dissimilem & separatam, nec quod de uno dicitur, de altero quoq; afferendum, prout ex j. dicendis clariùs apparebit.

XVIII. Juris præceptum tertium 2. pro norma & regula vivendi agnoscere pacta tum publica tum privata, & nisi ad hunc Lydium lapidem examinemus, in crassos incidemus errores: Aliter enim statera Juris publici suum cuiq; tribuit in justitia commutativa & distributiva, aliter statera Juris privati: Illa enim quandoq; ponderat personarum numerum ad exemplum Arithmetici, quandoque ad exemplum Geometræ personarum & materiarum qualitates pro qualitate negotii: Hæc plerumq; nudè respectum & numerum personarum habet: Vnde qui pacta publica ad libram appendet Juris privati, & vice versâ trutinabit pacta privata lance publicâ, is tibiæ galeam aptabit, & iniquè mensurabit, prout ex j. statuendis apertius elucescet.

XIX. Patrem 3. habere communem Jus gentium & quandoq; congenitores, aut altores sive educatores vel Leges vel SCra vel Plebiscita, vel Constitutiones Principum vel Edicta Prætorum: Fratres autem & sorores contractus, tum nominatos tum innominatos, reales, verbales, consensuales, & literales, juris civilis æquè ac gentium, nec non transactiones, & affines nudas promissiones & pollicitationes, quod in seqq. perspicuè docebimus, ubi singularum specierum exempla ob oculos ponemus.

XX. Summè quoque 4. prænotandum, pacta ad tertium objectum juris, actiones nimirum, referenda esse, & ideò ad actorem inter præludia judiciorum versantem in librum secundum ff. & C. ab Imper. Justiniano, viam monstrante Salvio Juliano in edicto suo perpetuo, coniecta fuisse; eò quod ab actore edito libello conventionis, nihil amplius, quam ut reus vel solvat, vel pacificatur (si nimirum debitum vel petitum fateatur) vel transigat, (si petitio vel condictio incerta vel dubia) vel contendat, & litem cum actore ingrediatur, supersit.

XXI. Istitis prælibatis ad ipsam efformationem, quæ sita sapientiâ

pieniâ divinâ, accedamus, & ante omnia onomatopœian pau-  
cis adducamus; quæ licet omnibus notissima, & satis dilucidè in  
*l. 1. §. 1. ff. b. t.* ab Ulpiano à pactione derivata, non tamen unde  
pactio descendat, aperit, secundum derivationem Grammaticam:  
Ex pactione enim Juridicè venit pactum & pax, sicut Jus à justitia,  
cum grammaticè & nominaliter justitia veniat à jure, & pactio  
æquè ac pactum à supino Pango, vel Pacere, juxta antiquam lo-  
cutionem in *ll. 12. tabb.* ibi, ni cum eo pacit, sexaginta dies in vin-  
culis retinetur; item, si membrum rapit, ni cum eo pacit, talio  
esto, descendat.

XXII. Errorum verò ne pariat amphibolia & diversitas si-  
gnificationis pacti & pactionis, sciendum, pactionem quidem  
esse Antecedens & matrem, & pactum consequens sive filiam,  
quæ ex pactione nascitur, & pactionem quoque pro ipso actu &  
facto paciscendi, & pactum pro Jure ex pactione veniente sumi re-  
fert *Wesemb. in paratit. n. 2.* sed nos neque de pactione quæ facti,  
neque de pacto quod Juris, sed de modo ejusque operatione hîc  
acturi sumus.

XXIII. Nomina æquivoca, præter placitum *l. divisionis 45. ff. b. t.* vix invenimus: Quod autem Dd. confundant nomen pa-  
cti cum conventionibus, promissionibus, contractibus, renuncia-  
tionibus, transactionibus & aliis factis, multorum gravissimorum  
errorum genitrix fuit. Non enim cum *Duar. ad l. 1. §. 2. b. t.* (qui  
dicit nusquam autores Juris promiscuè usurpasse conventiones &  
pacta) agnoscimus generalitatem vocis pacti, vulgò à Dd. sed per-  
peram factum, quasi pacisci idem sit ac convenire aut contrahere:  
Conventionis vocabulum equidem generale esse dicitur in *l. 1. §. 3. h. t.* sed pacti nullibi.

XXIII. Sane quoad linguam nostram vernaculam a-  
ptum & conveniens nomen monosyllabicum afferre non possu-  
mus, quò denotaretur hujus dictionis significatio Romana nativa:  
Vertrag/Vergleich/Abhandlung/Beding/Außgeding/Handlung/  
Abrede/Bereinigung/Bund (quasi Band) Verbündniß/ sunt ni-  
mis generales voculæ, quæ propriam essentiam pactorum non ex-  
primunt.

XXV. In

**XXV.** In investiganda itaq; vera & genuina significatione vocis pacti si aliquid operæ, temporis & olei infumamus, neque operam neque tempus, neque oleum, ut confidimus, perdemus.

**XXVI.** Si secundum regulas Logicorum ex definitione reali positâ in *L. 1. §. 2. b. t. l. pactum 3. ff. de pollicitat.* ubi pactum duorum vel plurium in idem placitum consensus vel conventio dicitur, natura & genius sufficientissimè æstimandus, utiq; per facile ad delineationem genuinam pervenire possemus: Verùm quia cum definitionibus Juridicis res se aliter habet, quippe quæ cum suo definito affirmativè tutò & firmiter converti nequeunt, prout ex definitione testamenti, legati & aliis quæ amplurimis apparet: idè quæ desunt ex aliis legibus supplebimus: nam non sequitur, Hic duo pluresve in idem placitum consensere, E. est pactum: sic enim omnes Contractus, stipulationes, ordinationes, decreta, sententiæ, collegia & corpora essent pacta; quamvis melius, nec tamen firmiter sequatur: Hic non est duorum pluriumve in idem placitum consensus, E. non adest pactum: sic possumus dicere, nudæ promissiones privatis & pollicitationes *Rebusp. factæ*, non sunt duorum vel plurium in idem placitum consensus. E. non sunt pacta.

**XXVII.** Placet autem nobis, ut in frontispicio & ingressu quilibet quid de pactis sentiamus, quasi ex tabula rudi Minerva depicta cognoscat, talem affigere descriptionem: Pacta sunt tales conventiones, ubi duo pluresve vel re vel verbis vel literis de re certa & indubia vel boni publici vel privati causa, eâ intentione, ut velint pacisci, consentiunt, ut unus saltem aliquid vel det vel faciat & alter nihil: *Da zwey oder mehr über einem unstreitigen Ding entweder zum gemeinen oder privat Nutz solcher Gestalt und der Meinung einig werden/das sie nicht etwan eine zierliche stipulation oder einen Handel / da sich beyde zu etwas verbinden/auffrichten/sondern nur ein Theil etwas zu geben oder zu thun sich verpflichtet / breviter, Eine beliebte Versprechung ohne wieder Vergeltung/* *d. 1. 1. §. 2. ff. hic d. 1. 3. ff. de pollicit.*

**XXVIII.** Hæc in re dissentiant, quotquot sibi imaginantur

rum, pacta nuda & nudas promissiones atque pollicitationes aut in  
nominatos contractus aut donationes & remissiones donationis  
causa factæ esse synonyma, & pro iisdem usurpatas promiscuè,

XXIX. In tantum autem hoc verum est, ut duæ distinctæ  
personæ requirantur, ut nemo secum solus pacisci possit.

XXX. Leges itaque antiquæ, cum liberos in potestate exi-  
stentes cum patre pro una persona reputent, habeantque, sequitur  
hinc inter patrem & ejusmodi liberos adhuc in sacris paternis ex-  
istentes pactum celebrari non posse: quod in legibus Justinianeis,  
& quidem tempore novioris Jurisprudentiæ, i. e. Novellarum alia  
quantisper aliter se habuit: Tum temporis enim habuerunt liberi  
sexuplicia, bona, Profectitia, Adventitia in quibus pater regu-  
lariter nudum usumfructum, Adventitia in quibus ne quidem u-  
sumfructum, Adventitia ex largitionibus & munificentia ab Au-  
gusto & Augusta, Castrensia & Quasi castrensia: Pro qualitate ita-  
que peculiorum, quibus de negotium pactum ineundum, pater &  
liberi pacisci possunt, eo quod respectu bonorum pro diversis per-  
sonis habeantur: Cæterum, inquires, quid audio? Pater cum libe-  
ris non potest pacisci, quid ergo faciunt hodie patres, quando fi-  
liis fecerint vel promiserint donationem propter nuptias, vel  
filiabus dederint vel promiserint dotem, & circa illas donationes  
factas vel dotes datas adjecerint nonnulla pacta? R. Patres non  
tam paciscuntur cum liberis, quando filiis donationes propter  
nuptias, & filiabus dotes constituunt, quàm debitum naturæ exsol-  
vunt, & præstât id, ad quod naturalis ratio eos impellit: Maxime, si  
accuratè loqui velimus, pater non tam cum filia, quàm cum genero  
de dote convenit, quando elocat filiam: Matrimonium quidem  
inter sponsam & generum sive sponsum celebratur, nec dubitan-  
dum, inter ipsos posse adjici instrumento nuptiali *Der Ehestift-  
ung oder Heurathsbrief und Ehebrief* / certa quædam pacta. *frustra*  
*i. C. d. dot. promiss.* quæ ob id dotalia nominantur, & non sunt i-  
psa instrumenta nuptialia, sed pars ipsorum, *Die ausgedinge uñd ab-  
reden bey der Eheveredung* / quia & sine instrumentis nuptialibus  
instrumenta dotalia confici possunt, quando dos separatim con-  
fici-



stituitur, sed quia sine consensu patris filia nubere nequit, & patris officio incumbit dotare filiam, & filio dare vel promittere donationem ante nuptias, *l. fin. ibi, donationem vel dederit vel promiserit. C. de dot. promiss. & nuda pollicit.* idcirco & suo & nomine filiae videtur constituisse dotem: Veteres enim soliti sibi & suis filiis stipulari & despondere uxores futuras h. m. visne filio meo nubere? vel visne filio meo filiam tuam dare uxorem? vel, visne filiam meam in uxorem ducere? stipulabantur & spondebant suis filiis uxores, & suis filiabus maritos, *l. sponsalia 2. ff. de sponsal.* Quod, quantum ad sponsiones, & apud nos in publicis sponsalibus etiamnum in usu est, dum sponsus interrogat sponsam, num velit ipsum pro marito agnoscere; Unde nostra sponsalia non sunt talia sponsalia, quae Romana, quia non sunt repromissiones, vel reciprocae promissiones, sed solummodo sponsa promittit, non repromittit aut restipulatur, nisi tacite sponsus sponsae: Quo magis tamen devincientur, & repromissiones fiant, Minister verbi divini & sacerdos die nuptiali ante altare in templo ex sponso, num velit N. in uxorem ducere, quaerit, & postquam respondet, quod sic, solet vice versa interrogare sponsam, num velit N. sponsum pro marito habere: Atque hinc quia pater stipulatur suis liberis vel filiis vel filiabus uxores vel maritos sive viros, enata fuisse communem illam locutionem, Die Väter namen ihren Söhnen Ehe weiber / und gaben ihren Töchtern Männer / poterant enim patres filiabus etiam reluctantibus dare maritos, tunc enim solum dissentiendi à patre, licentia filiae concessa, si indignum moribus & vel turpem sponsum pater ei eligat, *l. sed & 12. §. 1. ff. de sponsal.* E contra verò filiosfamil. non poterant cogere ducere uxorem, gaben ihnen keine Weiber / sondern nahmen ihnen Weiber sc. mit ihrem Willen / *l. non cogitur 22. ff. de R. N.* sic non legitur in *l. fin. C. de dot. prom. & nud. poll.* quod pater filio fecerit donationem ante nuptias, & filiae dederit dotem, sed pro filio & pro filia.

XXXI. Omnino hinc non dubitamus, quin inter patrem & filium in causis & negotiis, ubi non de re familiari, sed de salute publica agitur, pacta subsistere possint.

B

XXXII. Sa

XXXII. Sanè pacta, num inter maritum & Uxorem, sint valida, rataq; habenda, exinde dubium, quod de Jure divino pro una carne habeantur. Quia verò de Jure civili pro duabus personis æstimantur, maximè quoad negotia & commercia humana, & bonorum proprietatem, utut matrimonium sit viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens, §. 1. *Inst. de nupt.* vix amplius dubitare non liceret, nisi pacta nuda incidere in donationis speciem, quæ inter Coniuges prohibita t. 1. ff. *de donat. int. vir. & uxor.* qui enim paciscitur donationis non lucri reciproci aut precii causa, rem certam & indubitata liberalitate remittit l. 1. ff. *de transact.*

XXXIII. Obstat haud Sociis, etiamsi omnium bonorum, quò minus pacta invicem facere possint.

XXXIII. Pactiones inter Dominum & servum non potuisse fieri, indubii juris est l. *interpositas* 13. in fin. *C. de transact.* Econtra hodie inter herum (unde nostrum Haus, her oder Herr) & nostros famulos & ministros eas subsistere in apico est: Quia nostri famuli non ex persona dominorum æstimantur aut pecudibus æquiparantur.

XXXV. Habent quidem aliquam convenientiam, & paritè quasi passu ambulant. Monachus & servus, juxta *Dd. dogma summane, ab Innoc. e. cum olim, de privileg. relato*, sed ut custodia & reus: Licet enim monachus, quicquid acquirat, monasterio acquirat, attamen quandoq; monachum cum abbate pacisci posse non ambigimus, puta si super crimine, dimissione vel aliis negotiis, re pecuniaria non attinentibus paciscuntur: Nec Abbas est dominus, sed Monasterium, aut rectius Deus; sunt enim, uti volunt, servi Dei monachi, si non diaboli: Præterea monasterium & monachus non sunt una persona ut dominus & servus; quin servus regulariter non pro persona aut homine civili habetur, sed pro pecude: unde servi quantum ad Jura civilia & gentium caput non habent; quod nequaquam de monachis dicendum, utpote qui & caput civile & gentium nihilominus habent.

XXXVI. Ita tota die fieri videm⁹ pactiones tū conventas tū nudas.

das inter Episcopos & Ministros Ecclesiæ nostrates, qui dicuntur servi Dei; inter Patronum & sacerdotes, inter pastores & rusticos dotales ejusdem, qui pastori dicati, zur Pfarrgewiedemet/ & ob id wledumbs Leuthe nominantur.

XXXVII. Æque non omnes qui nobis serviunt, & servi nominantur, statim servi vel mancipia sunt, aliàs & nostri Schus knecht/Schneiderknecht/Fleischerknecht/Henckers. Statt und Lands knecht quoq; essent mancipia:

XXXVIII. Eodem modo nec omnes qui se servos nominant, aut supplicationibus subscribunt, pro talibus confestim se habere cupiunt, quamvis Prophetæ se servos & B. virgo Maria, mater Christi nostri Salvatoris unici, id ipsum omninò verè intenderint, & indicaverint, quando dixerunt, Rede/detn Knecht höret/ & Deipara, Siehe ich bin des Herren (scilicet leibeygene) Magd. Quo respectu omnes homines veri servi & ancillæ jure sunt: quâ de causâ nihil impedimento est, quominus inter tales servos pacta fieri possint.

XXXIX. Taxare hisce stantibus cogimur hic illorû opinionem, quæ nimis apud quâ plurimos altas radices egit, qui nuda pacta & nudas promissiones aut nudas pollicitationes & donationes pro synonymis habent: Tantû enim abest, ut nudæ promissiones, pollicitationesve nuda pacta dici queant, ut ne quidem sub uno genere, conventionibus nimirum, complectantur, sed planè in aliam speciem diversissimam abeant: stant quidem sub genere conventionis, Contractus, transactio, pactum, nudum, conventum, legitimum & prætorium, donatio & stipulatio, sed promissiones nudæ et pollicitationes nudæ & donationes nihil commercii habent cum pactis nudis.

XL. Inter ipsa pacta, quidem nuda magna, est diversitas, sed in illis nihilominus semper salvum & incolume manet, duarum personarum distinctarum requisitum essenziale, quod in nudis promissionibus & nudis pollicitationibus deest, quippe quæ in solius offerentis promisso consistunt, *d. l. 3. ff. de pollicit.*

XLI. Ut mentem eò dilucidius explicemus & omnibus

bus obviâ sistamus brevissimis, quid Contractus propriè, quid trans-  
actiones propriè, quid donationes propriè, quid stipulationes pro-  
priè, quid pacta propriè, quid nudæ promissiones, quid nudæ pollici-  
tationes propriè ordine enucleabimus; Et ut statim à Contractibus  
initium faciamus Contractum propriè tunc celebrari dicimus, quã-  
do duo pluresve de re certa & indubia vel in utilitatè publicam vel  
in privatam ita conveniunt, ut una pars aliquid det vel faciat, vel  
det & faciat, vel ad dandum vel ad faciendum, vel ad utrumque se  
obligat, & altera pars vicissim aliquid aut det aut faciat, aut det &  
faciat, aut ad dandum aut ad faciendum aut ad utrumque se ob-  
stringit.

*XLII.* Res & negotia talia Germani in suâ lingvâ ver-  
naculâ una dictione accommodatâ effari nequeunt, sed utuntur  
vel vocibus generalibus superiùs relatis vel mutuunt Romanam,  
Contr. acte, quæ sane penuria & paupertas in lingua Teutonica  
multis erroribus ansam præbuit.

*XLIII.* Ita quoque cum transactionis vocabulo quoad  
lingvam nostram genuinam se habet; Quantumvis enim Roma-  
ni illos contractus, ubi duo vel plures de re dubia & incerta, vel in-  
commodum Reip. vel privatorum ita conveniunt, ut unus ali-  
quid det vel faciat aut utrumque, vel ad dandum vel faciendum,  
vel simul dandum & faciendum se adstringat, & alter recipere  
vel aliquid det vel faciat, vel det & faciat, vel dandum vel facien-  
dum; vel & dandum & faciendum se obligat, eleganter transacti-  
ones nominent, at tamen nostrates apta & convenienti vocula,  
quæ huius rei & negotii qualitatem nobis aperiret aut denotaret,  
desistuntur.

*XLIV* Simili ratione carent Germani voce congruâ, quæ  
propriè dictionis donatio corresponderet: Vocabula, Schen-  
kung/Siff/Sabe/Berehrung rem ipsam accuratè non exhibent;  
quia tunc Juridicè aliquid donamus propriè loquendo, quando  
una pars alteri aliquid eâ mente & intentione realiter dat, ut sta-  
tim velit fieri accipientis, nec ullo casu ad se reverti, & altera è  
contra nihil dat vel præstat; Quo respectu donationes inter spon-  
sum

sum & sponsam concessæ, & inter conjuges prohibita *l. 1. in pr.*  
& *S. 1. ff. de don.*

*XLV.* Ubi autem una pars non aliquid realiter dat, sed vel aliquid facit, vel ad dandum vel faciendum se obligat, in re & negotio certo & indubio, donationis causa, animo paciscendi non stipulandi, alterâ præsente nihil recipere dante vel faciente, ibi pactum celebratur *d. l. 7. §. sed cum nulla 4. b. t.* nec sunt Synonyma, donare & donationis causa aliquid promittere & remittere.

*XLVI.* Tuncq; fit vel sine negotio quopiam prævio, quale pactum fecit cum Gabaonitis Josua, qui non in modum Contractus sed modum pacti citra negotium præambulum pepigit cum Gabaonitis *Jos. 9.* licet non sine dolo & calliditate ut j. dicimus, in ipso limine negotii aut exitu, mox è vestigio contractus, transactionis, donationis, vel cujuscunque obligationis, *v. l. si donationis 7. C. de his quæ met. causa,* vel facti præambuli (nam & facta tum licita, ut negotiorum gestio, tutelæ administratio, communio, aditio hereditatis, tum illicita, qualia sunt delicta vel vera vel quasi, pariunt obligationes, non solum contractus) & pacta κατ' ἐξοχήν convenita, annexa, adiecta, secuta nominantur; vel sine his vel his præviis ex quodam intervallo post perfectum contractum & absolutum factum, & nuda remanent; & quia proprio ex motu quasi ad factum vel faciendum unus prorumpit, alter autem nihil præter assensum & gratiarum actionem quasi reponit, ideò nuda dicuntur; non quidem ideò, quasi nuditas consisteret in unitate personæ aut vestitu contractus, sed in nuditate facti vel faciendi reciproci, sine alterius mutua repromissione, retributione aut compensatione, quæ movisset & causam dedisset alteri: quod quia à multis non observatum, corvum pro cygno pinxerunt

*XLVII.* Romani insuper, quia ex his pactis nonnullis vim obligationis civilem indiderunt, nonnullis, & quidem regulariter, denegarunt, factum hinc, ut pacta legitima & nuda simpliciter, & illa iterum vel legitima in specie vel Prætoria appellaverint: Prætoria quidem, quando à prætoribus sunt approbata, uti habemus exemplum in Constituto, ubi quis se pro alio constituit ad

solutionem *l. t. ff. & C. de const. pec.* Legitima autem, quando vel à toto populo, vel à plebe vel à Senatu vel ab Imperatoribus vel à ICtis virtutem istam acceperunt.

*XLVIII.* In stipulationem autem, eamq; vel simplicem vel Aquilianam, res incidit, & deducitur, quando unus vel plures interrogant, num velit sibi aliquid dare vel facere vel non facere aut utrumque, & alter vel plures respondent congruè & aptè ad interrogata; stipulari enim est postulare promissa vel promittenda; Et quidem si nihil negotii præcesserit, i. e. si nihil quicquam contractum, transactum, donatum, pactumve, est simplex & nuda stipulatio: quando verò ad contracta, transacta, donata & pacta una pars quærit ex altera, num velit in eo quod contractum, transactum, donatum pactumve, constanter perseverare, & altera pars annuendo respondet, quod sic, tunc res non manet amplius in nudis terminis contractus, transactionis, donationis vel pacti, sed in super transit majoris firmitatis ergò in Aquilianam stipulationem. Simplex autem stipulatio à nudo pacto in eo differt, quod pactum fiat promissionis faciendæ vel accipiendæ gratia sine interrogatione; stipulatio verò cum interrogatione, consequendæ & eliciendæ promissionis gratia: Postulatoris promissionis est stipulari, promissoris verò est pacisci: quâ in re iterum graviter peccant non pauci *Dd.* qui stipulari pro promittere usurpant, & stipulationes & pactiones pro uno eodemque quandoque venditant: cum stipulari sit postulare sibi aliquid promitti, prævia interrogatione. *Nizolius in suo thesaur. Ciceron. verb. stipulari:* Pacisci verò propriè & regulariter est sine interrogatione præambula aliquid promittere, quamvis & ille qui paciscitur, ne conveniatur ab eo cum quo pactus, paciscatur: Pacisci enim est vocabulum, quod de utroque, qui paciscitur, ne agat, & qui paciscitur, ne conveniatur, dicitur *l. contra 28. ff. b. t.*

*XLIX.* Ut autem pacta nuda sunt vel publica vel privata, prout vel boni publici vel privati causa fiunt; ita & stipulationes & contractus & transactiones sunt vel publicæ vel privatæ *l. conventionum. s. ff. b. t.*

L. Si

L. Si verò nihil contractum, nihil transactum, nihil pactum  
nihilq; stipulatum, sed simpliciter nullo acceptante, vel presente  
aliquid promissum vel pollicitum, tunc vel nuda promissio vel  
nuda pollicitatio dicitur: Nuda promissio quidem, quando  
promissio vergit in utilitatem privatam, e. g. quando quis dicit,  
wann mein Schwager noch lebet/so will ich ihn zu mir nehmen / und  
alle Jahr 100. Thaler gebē. Pollicitatio verò propriè loquedo, quā-  
do promissum cedit in commodum Reip., adeoq; in communem  
salutem, e. g. Wann meine Dienerin freiet/so will ich ihr etne Hoch-  
zeit zum heurath Gut aufrichten/vel, weil meine Tochter gebräuchlich/  
so will ich ihr 200. Thaler mehr mit geben als den andern Kindern.

LI. Quantumvis enim & vocabulum promissionis & polli-  
citationis sint generalia, germanicè, Verheischungē/Zusagung/&  
maximè verbalia promittere & polliceri promiscuè usurpentur,  
sunt tamen & simul specierum nomina, ut adoptio; Propriè lo-  
quendo ex nuda promissione saltem vocitantur, quæ tendunt  
in utilitatem privatam, quæ verò boni publici causâ factæ, propriè  
pollicitationes.

LII. Utrumq; discimus ex continuatione titularum & si-  
tuularum in ffis; Materia enim pollicitationis habetur in-  
ter materias Juris publici in l. ib. 50. t. 12. & materia donationis in  
l. ib. 39. & sparsim promissionis.

LIII. Equidem non ignoramus, verbum Promittere vel  
promissum aut promissio positum in instrumentis vel contractu-  
um tum nominatorum tum innominatorum, vel transactionum,  
vel donationum vel pactorum, non de nuda promissione esse in-  
telligendum, sed de ea quæ ad stipulationem sive interrogata sub-  
secuta. §. si ita, 17. f. de inutil. stipul. in tantum ut nisi contrarium  
asseverans, & negans stipulationem, approbet & dilucidè demon-  
stret stipulationem non fuisse celebratam sed pactorem, vel sal-  
tem eò, quod contrahentes non fuerint presentes, vel unus eorum  
mutus, ex stipulatu teneatur, l. Juris gentium 7. §. quod verè 12. ff.  
de pact. sed quando in legibus & juribus in Corpore nostro extan-  
tibus legitur, longè aliter se res habet; ibi enim vocabulum Pro-  
missio

missio pro subjecta materia modò de promissione vallatâ stipulatione, modò de nuda sumitur, e. g. quia non solum nuda pacta dotium, sed & nuda promissiones dotium, operantur civilem obligationem, æquè ac promissio ad stipulationem secuta, ideò parùm refert, si in materia dotis dictionem Promittere sumas de dote sive stipulata sive pacto constituta, sive nudè promissa: Est enim peculiare in dotibus, propter earum favorem publicum, eo quod Reipub. inter sit habere mulieres dotatas, ut quovis modo promittentes obligentur civiliter ad exsolutionem *l. promittendo 41. ff. de J. D.* Non tamen nudè promissa dos promissa est, quàm pollicitatione constituta, siquidem promissiones dotium magis spectant ad utilitatem publicam, de quibus (ut s. modò diximus) dicitur pollicitatio, unde *rubr. C. de dot. prom.* (scil. ad stipulationem) & *nuda poll.* rectius de pollicitatione, quàm de promissione concepta; Dotes enim non propriè promittuntur, sed pollicentur. Atque hoc est quod *Imp. in l. ad exactionem 6. C. d. r.* describunt, ad exactiorem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunqve sufficere, verba censemus, sive scripta fuerint sive non, etiamsi stipulatio in pollicitatione rerum dotialium minimè subsequuta fuerit: Confundunt quidem multi promissiones cum donationibus, existimantes promissiones esse donationes, sed Leges reclamant, & accuratissimè inter donationes & promissiones distinguunt: Hinc aliud est promittere donationem & donationem facere, item donationis causa aliquid facere; aliud promittere, mutuum, venditionem, locationem, commodatum, aliud mutuo dare, vendere, locare, *l. fin. C. de dot. prom. & nud. poll.* sic aliud est promissio divisionis, quæ fit, quando socio vel cohærede absente aliquis dicit, *ich will mich mit ihm theilen / mag nicht länger in communione bleiben /* aliud pactum divisionis, quod fit, quando heredes ita invicem paciscuntur, *wann sie sich mit einander vergleichen und einig werden / daß sie theilen wollē /* aliud divisio sive dividere: Ita aliud est transactio promissa, aliud pacta eaq; vel per pactum conventum celebrata, aliud transactio ipsa: Et constituens se pro alio neq; donat, neq; promittit. *l. 1. §. eum qui 4. ff. de constit. pecum.* & hæc nobis videtur ratio, cur prætores in suis edictis plerūq; usi vocabulo polliceri actione.



actionem: Quia non aliquid proprii lucri causa promittunt, sed  
in utilitatem publicam pro salute civium ita vel ita edicunt, par-  
tibusq; opem suam pollicentur: unde & apud probatos Autores pol-  
liceri plus est quam promittere: Ex pollicitatione enim obligamur  
quoq; civiliter, sed ex promisso duntaxat naturaliter.

LIV. Dices, audio ad pacta duas personas ad mini-  
mum esse necessarias, ubi autem duarum personarum in pactis ta-  
citis & subintellectis? uti fit ratione, evictionis & hypothecae  
in bonis illatis, in tutela bonorum maternorum, Ecclesiasticorum  
administratione, & aliis quam plurimis? Respondemus: Quod homines  
non faciunt, id lex in quibusdam casibus efficit, & fingit atq; prae-  
supponit duos ita vel ita pepigisse, nec praesentia ad pacti essen-  
tiam requiratur. *l. Labeo 2. in pr. ff. de pact.* Sufficit duorum consen-  
sus, quomodo cunq; apparens.

LV. Obligamur enim multis modis: Unde sicuti Le-  
ges in expressis conventionibus pacta nonnunquam intervenisse  
praesupponunt, ita & ex factis nonnulla erunt & coniciunt e. g. Ex fa-  
cto redditionis chirographi debitori praesumunt Jura liberatione  
& remissionem debiti, ac si expresse ita inter ipsos conventum, quod  
creditor non amplius debeat exigere debitum *d. l. 2 §. ff. b. t.* E contra red-  
ditione pignoris tantae operationis non aestimaverunt, ut debitor ex-  
inde sibi spem liberationis facere possit *l. postquam 3. b. t.* sic qui in  
futurum usuras accipit a debitore tacite pactus videtur, ne intra  
id tempus sortem petat, *l. qui in futurum 57. b. t.*

LVI. Caeterum quando duos requirimus homines, il-  
lud de habilibus intellectum cupimus: definitiones enim Juridi-  
cae semper cum mica salis conspergendae, nec ita crude aut Judai-  
ce prout sonant, concedendae: caeteroquin & inter bruta aut ho-  
minem & bruta pacta fieri possent: siquidem in definitione pacti  
non expressa mentio facta est hominum, sed in genere dictum, esse  
duorum vel plurium consensum, quod tamen de brutis crasse lo-  
quendo quoq; dici potest, prout videmus in canibus, equis, simiis, ut  
maxime apud Aegyptios, qui quasi ex compacto cum animalibus  
tum cicuribus tum mansuefactis varias edunt formas & mutuas  
actiones.

LVII. Tantae temeritatis ac vesaniae homines quidam, proha-  
do-

dolor! reperiuntur, qui etiam cum Diabolo & contractus & pacta  
ineunt, die einen Bund oder Pacht mit dem Teuffel machen / sed  
quomodo Diabolus fidem datam observet, ipsi suo periculo expe-  
riuntur.

**LVIII.** Ordines, corpora, Ecclesias, Collegia, universita-  
tes, provincias, civitates, pagos unum representare, omnibus  
pernotum est: Parum itaq; interest, sive unus singulariter, sive  
unus collectivè paciscatur.

**LIX.** Representant quidem plures hæredes defunctum,  
adeoq; unum, maximè divisione nondum facta; verùm, quia acti-  
ones ipso Jure divisæ, & coniunctim & disjunctim pacta facere  
possunt.

**LX.** Cum illis nolumus hie in arenam descendere, qui to-  
pacisci de utroque convenientium dici autumant, nam *in l. contra*  
*28. in pr. ff. b. r.* dicitur de pupillo, quod possit pacisci ne petat, &  
ne à se petatur, qui enim paciscuntur & agunt & patiuntur: Unde ju-  
xta Grammaticos verbum est deponens, quod tam activè quàm passivè  
accipi potest: attamen magis & propriè loquendo is dicitur pacisci  
ci aut paciscens, in cuius utilitatem & commodum vergit pa-  
ctum, alter verò cum quo paciscimur: e. g. quando venditor vel  
in ingressu emtionis per pactum conventum, vel post emtionem  
perfectam ex intervallo per pactum nudum paciscitur cum emto-  
re de precio exolvendo in moneta aurea certarum specierum, vel  
de hypotheca ratione residui precii; tunc quia hoc tendit in com-  
modum venditoris, qui sibi his pactis prospectum cupit, paciscens  
est venditor, & cum quo paciscimur, emtor: Econtra quando em-  
tor remissionem precii vel solutionem in minori moneta impe-  
trat pacto, vel ratione evictionis aliquam cautionem, aut gratui-  
tam inhabitationem cujusdã hypocausti, tunc emtor est paciscens,  
& venditor cum quo paciscimur. Sic debitor quoque cum credito-  
re, & vice versa creditor quandoque cum debitore paciscitur,  
nimirum pro pacti qualitate, quatenus emolumento est vel credi-  
tori vel debitori pactum, sive tamen paciscens ex pactione com-  
modum sive incommodum sentiat, modò sit promissor, rectius  
paciscens nominatur. Et tantum de primo requisito pactionum.

Osten-

**LXI** Ostendemus nunc paucis alterum, in eo consistens quod unus vel plures aliquid faciāt, vel facere vel non facere promittant, & alter nihil: Ex eo enim omnia dijudicanda sunt pacta, adeo, ut si hoc non factum, nec pactum dici possit, & confestim in aliam degeneret formam *l. 1. ff. de transact.* Et hoc est quod Ictus in *l. 7. §. sed cum 4. b. t.* dicit, sed quum nulla causa subest propter conventionem, (id est cum non ideo cum altero convenio, ut mihi vicissim aliquid det vel faciat) hic constat non esse obligationem, & mox subsumit; igitur nuda pacta (quippe quæ tales sunt conventiones, ubi aliquid facimus vel promittimus sine reciproca datione vel factione, quæ nobis causam conveniendi præbuisse,) obligationem non pariunt, sed exceptionem.

**LXII.** Notabiliter autem dicit, causa propter conventionem, non causa promissionis vel facti vel faciendi, quia aliud est causa propter conventionem, & aliud causa promissionis: Illa enim vix sine causa impulsiva & movente paciscentem esse nequit, e. g. creditor paciscitur cum debitore de non petendo debito intra quinquennium: En hic a parte debitoris nihil quicquam recipere datur vel fit pro illo beneficio dilationis, & si aliquid vicissim daret vel faceret, non pactum celebraretur, sed vel contractus nominatus vel innominatus vel pactum reciprocum & vicissitudinarium, qualia in singulis ferme contractibus reperiuntur, & non tam unum quam duo inferunt. Ut quando post contractum talia reperiuntur verba, *hierbey ist abgeredet / &c. das und das / Itē ingegē hat &c. N. das uñ das zugesaget und versprochenē:* Hinc sæpiusculè in recessibus Imperii hæc reperiuntur verba, *und haben wir uns mit ihnen / und sie hergegen mit uns verglichen /* adeoque deest factum & causa in debitore, propter quam dilationem impetrat à creditore, licet in se consideratus non sine causa interna & movente in talem prolapsus pactationem, habita ratione debitoris indigentia, perpeffi mali, calamitatum domesticarum ex commiseratione aut charitate Christiana, sine ulla retributione.

**LXIII.** Sine tamen facto aut faciendo aut dando in paciscente, nullum fieri potest pactum, in quo tertium requisitum, quò distinguitur à donatione, consistit: Quando enim damus aliquid

quid sine causa, tunc non pactum, sed donationem facimus, pro-  
ut suprãdiximus: quantumvis qui paciscitur donationis causa rem cer-  
tam & indubitatam remittit, *l. 1. ff. de transact.* quia ut supra indica-  
vimus aliud est donare, aliud donationis causa aliquid facere.

**LXIV.** In dationibus & traditionibus rerum quidem pacta  
fieri possunt, *l. traditionibus 48. ff. b. t.* sed pacta & data & tradita  
differunt, sicuti & dos donata & data in dotem: Quia donata ita  
dantur, ut statim fiant accipientis sine causa recuperandi vicissitudi-  
naria, sed data in dotem non ideo dantur, ut fiant in perpetuum,  
accipientis, sed ut saltem usumfructum constante matrimonio ma-  
ritus consequatur, & danti repetitio sit integra nuptiis non secutis:  
Hæc est mens & intentio dantis dotem, à qua aliena est mens do-  
nantis, quæ dat sine animo repetendi citra legitimam causam: Et  
generaliter verum est semper mentem & intentionem esse inspi-  
ciendam, in tantum, ut si dubitetur de mente contrahentium,  
num pactum vel stipulationem fecerint, & unus pro se habeat scri-  
pturam, alter teneatur suam intentionem probare *l. 7. §. quod ferè  
12. b. t.*

**LXV.** Licitè autem vel illicitè, quando pacta dationibus ad-  
jici possint, & quid operentur j. dicemus *ex l. si quis 49. & l. si tibi 17.  
b. t. & l. traditionibus 20. C. b. t.*

**LXVI.** In eo itaq; quartum requisitum residet, per quod à  
stipulationibus separantur, nimirum pacta fieri posse qualibus-  
cunq; verbis, imò & literis, & per nuncios, etiam à mutis, sed sti-  
pulationes non nisi verbis ad interrogata congruè conceptis & inter-  
præsentes & loquentes.

**LXVII.** A certitudine rei & exinde, quod de re & negotio  
ipso nulla sit vel fuerit controversia inter partes, V. **essentiale**  
**requisitum** sumitur, eoq; ipso à renunciationibus jurium litigio-  
forum, & à transactionibus etiam segregatur, *l. 1. ff. de transact.*

**LXVIII.** Requisitis hæc probè observatis facile unusquisq;  
nunc veram contrafacturam pactorum exhibere poterit.

**LXIX.** Jam ordine videbimus species: sicuti autem conven-  
tiones, adeoq; omnes contractus, transactiones, stipulationes, sunt  
vel

vel publicæ vel privatæ, à causâ finali, in cuius gratiam initæ, sic dicta, l. 5. ff. b. t. Ita & pacta alia sunt publica & privata. Si negotium, quod concernit utilitatem publicam, tractatur de re certa & indubia inter homines sive privatos sive publicos, erit **pactio publica**, si verò negotium celebratur non boni publici causâ principaliter, sed pro commodo unius vel alterius tum publicæ tum privatæ personæ, **pactum** tunc dicitur **privatum** factum, pacis recuperandæ aut stabiliendæ gratia, modò non vergat in detrimentum tertii, quo tendunt conspirationes & pacta furum & nebulonum: Nec publica æstimantur à publicis personis, possunt enim duorum exercituum duces quædam pacisci, quæ non attingunt communem utilitatem, sed ipsorum proprium commodum, è contra privati possunt erigere pacta rem familiarem non attinentia, sed publicum interesse.

**LXX.** Valdè utile est hoc scire: Quia nuda pacta publica sine ulla dubitatione gignunt obligationem civilem, quod è contra privata regulariter non faciunt: Si enim pollicitationes nude tantæ sunt firmitatis, ut pollicitantem astringant ad standum, pollicitis, multò magis pacta nuda erunt ejusdem operationis.

**LXXI.** Sunt hæc quidem notissima, & tamen malè quoque negotiis applicantur: scimus enim non ita pridem ex aliquo questum, num hostes Imperii cum nominatissima civitatis gubernatoribus deditioe secuta vel contraxerint vel transegerint vel pacti fuerint? respondisse, transegisse, cum dicere debuisset, pepigitisse, Quia deditioe simpliciter facta, pacta duntaxat facta. Unde cum illa ipsa civitas illas pactiones sub rubrica, *accords puncta* extradebant, deleverunt hostes nomen *accord*, dicentes, wir haben nicht mit euch accordiret / wissen von keinem accord, was wir euch zugesaget / sub nomine pactorum, das wollen wir euch halten und unterschreiben.

**LXXII.** Equidem inficias ire non possumus Instrumentum Pacificationis Osnabruccense nuperimum continere maximam partem transactionem, sicut & pacem religionis & transactionem Passaviensem, sed & iisdem multa inesse pacta conventa & reciproca, nec non contractus, vice versâ negari non potest.

LXXIII. Libet ergo hic mox de vestigio quasi alteram afferre  
divisionem, quæ pacta vel in Conventa vel in Nuda dividuntur.

LXXIV. E numero & classe pactorum conventorum sunt il-  
la, quæ contractibus, quæ transactionibus, quæ factis tum licitis  
tum illicitis propter substantiam negotii celebrati adjiciuntur.

LXXV. Conventa dicuntur autem non quasi pacta nuda non  
quoque; sint conventiones aut conventa, sed quia cum negotiis prin-  
cipalibus conveniunt, & pariter præter ordinarium negotium in-  
conventionem deducuntur, & animam quasi suppeditant nego-  
tio.

LXXVI. Teutones pereò modè in sua lingua nomina ut *Aus-  
gedinge/Bengedinge*; Et de his pactis principaliter egit edictum  
prætoris, cujus verba Ulpianus in *lib. 4. ad Edictum, l. juris gentium*  
*7. §. prætor, sit 17.* recenset, ubi prætores talem generalem extru-  
xerunt regulam.

LXXVII. Omnia pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque  
adversus leges, plebiscita, S. C. ta, Edicta principum, neque quò fraus  
cui eorum fiat, facta erunt, servabo.

LXXVIII. Regula sanè in æquitate naturali consistit; Quid  
enim, inquit Ulpianus commentator in illud Edictum, *l. i. b. r.* tam  
congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter nos placuerunt, servare.

LXXIX. Inventor huius Edicti quis fuerit, aut quo tempore  
in lucem pervenerit, non meminit, nec multùm refert, nosse hoc:  
Illud autem certò asseverare possumus, demum in publicum tem-  
poribus novæ Jurisprudentiæ, j. e. temporibus Imp. prodiisse:  
Quia fit in illo expressè mentio edictorum principum, quod non  
scripsi potuisset, si ante tempora Romanorum Imp. prædictum E-  
dictum promulgatum fuisset.

LXXX. Summè tamen notandum venit, quòd Prætores non  
omnia pacta indistinctè observata voluerunt, sed saltem ea, quæ  
neque dolo malo neque adversus leges &c; neque quò fraus cui  
eorum fiat, facta.

LXXXI. Sequitur hinc pacta conventa esse vel approbata,  
vel reprobata, adeoque regulam in *l. i.* traditam, nihil tam congru-  
um fidei humanæ est, quàm ea, quæ inter nos placuerunt, servare:

non simpliciter esse veram, sed ad licita duntaxat esse applican-  
dam: Nulla namq; gens tam fera & barbara, quæ omnia pacta ra-  
ta firmaque habuisset, & nulla improbasset.

**LXXXII.** At quando Prætor dixit, servabo pacta conventa,  
non hoc inuenit, quasi ipse velit servare, quæ inter alios conventa,  
sed quod velit in jus dicendo ea observare, secundumq; ea decer-  
nere, suoque auxilio efficere, ut à paciscentibus serventur.

**LXXXIII.** Cum illis autem facere non possumus, qui existi-  
mant pacta reprobata & illicita esse ipso Jure nulla: Disertè namq;  
dicitur in l. 7. §. generaliter 16. b. t. quod & pactum conventum fir-  
matum aut stipulatione aut juramento, sit rescindendum, quod  
malè diceretur, si ipso Jure esset nullum: Quæ enim ipso Jure sunt  
nulla, rescissione haud indigent, & privatio præsupponit habitum.

**LXXXIV.** Hinc succedunt & illæ divisiones, quibus pacta  
conventa sunt vel stipulatione roborata, vel sine stipulatione  
facta, vel jurata vel injurata.

**LXXXV.** Sine autem negotio substrato vel contractu aut trans-  
actione nuda vel stipulatione prævia celebrata conventio, nudum  
pactum indigitur.

**LXXXVI.** Operationis cum non sint unius, sed quædam pari-  
ant exceptionem saltem, quædam verò quoq; actionem, rursus in  
nuda simpliciter, i. e. Juris gentium, & in Legitima, & in sti-  
pulata discernimus, l. legitima, 6. b. t.

**LXXXVII.** Nuda simpliciter dicuntur ea, quæ agnoscit Jus  
gentium & Romani in nudis terminis placiti reliquerunt.

**LXXXVIII.** Illa legitima vocitantur, quibus vel ex Legibus  
vel ex SCtis vel ex principum constitutionibus vis obligationis ci-  
vilis attributa, quæque ita à legibus confirmata, ut præter excipiendi  
Jus etiam vinculum legitimum, ut contractus, ubi mutua obligatio-  
nes promanant, producant, d. l. 6.

**IXC.** Cujus Species iterum duplices, vel Legitima in  
specie sic dicta, vel prætoria, ad exemplum heredum civilium sive  
legitimorum & prætoriorum.

XC. Utrum autem sint civilia & legitima in specie, utrumve Prætoria nosse maxime conducit; quia civilia pariunt actiones perpetuas, prætoria regulariter annales.

XCI. Sit exemplo Constituens, qui, cum se pro alio constituit, nil nisi pactum nudum cum creditore fecisse videtur, eò quod cum nihil negotii antea inter ipsum & creditorem intercessit, creditor vicissim nihil vel dedit aut fecit, vel promisit dare vel facere. §. constituta 9. §. de action. l. 1. ff. de constitut. pecun. Regulariter itaque ex tali pacto nulla provenire deberet actio, sed quia non solum constitutorias introduxerunt actiones, easque specialiter perpetuas, & in tali mensura vitæ, in qua omnes actiones personales proficere sunt, i. e. in annorum metis triginta, l. 1. & 2. C. de constit. pec. inclusas esse voluerunt; igitur exceptio firmat regulam, in non exceptis *pr. d. de perp. & temp. act.*

XCII. Ita quoque pactum hypothecarium, quando in vel post contractum principalem maioris securitatis adiicitur, vel conventum vel nudum dicitur, eò quod debitor nihil eo nomine rependat; Quia tamen ex eo, quando ex intervallo negotio accedit, Serviana & quasi Serviana nascitur actio realis & quidem de jure honorario. l. si tibi 17. §. de pignore 2. ff. h. t. §. item serviana 7. §. de action. utique nisi simul prætores vitam huius actionis in perpetuum protraxissent, terminus earum foret annalis l. male igitur 2. C. de prescrip. 30. vel 40 ann. sicuti quoque adiecta hypotheca contractui vel transactioni, pro qualitate negotii & pactionis exinde resultantis, perpetua: quia pacta conventa dant formam & substantiam actioni principali.

XCIII. Nec est conventum, quod tum demum locum habet, quando in ipso bonæ fidei iudicio in continenti annectitur, ubi non conditio datur, sed actio principalis, cui adjectum informatur, ut vel sit nominata vel præscriptis verbis.

XCIV. Idem sentimus & statuimus in hypotheca tacita sive legali, quod jam de expresso nudo pacto prætorio firmavimus, quia tacitum tantum operari debet, quantum expressum.

XCV. Utrum nudum pactum, quod post mutui dationem frumenti et sordei accessionis loco adiicitur,



ut prætorium vel legitimum in specie, merito in dubium vocamus, quia licet in *l. frumenti 12. C. de usur.* ejusmodi nudum pactum efficacem præstare actionem dicatur, attamen non additur, quis eidem hanc efficaciam assignavit, prætoresne aut aliqua lex scripta alia, vero similis videtur, quia Alexandri est lex illa, & quidem non in modum Edicti sed in modum rescripti ad consultationem Tyranni lata, mores potius & tacitum populi assensum, quam ullam partem Juris scripti fuisse progenitores aut nutricios.

**XCVI.** De donatione per nudum pactum, i. e. per acceptilationem à donatario celebratâ, ut hodie vocatur, non amplius dubitare licet, num sit pactum nudum & donatario præbeat jus agendi vel prætorium vel legitimum, quia apud omnes in confesso est, Imp. Justin. vim istam in ultimo quasi articulo novæ Jurispr. hujusmodi pactionibus primitus indidisse, in *l. si quis argentum, 35. §. sed si quidem 5. C. de donat.* et quidem ex hac ratione: Cum enim in arbitrio cujuscunq; sit hoc facere, quod instituit, Oportet cum vel minimè ad hoc proficere, vel cum ad hoc venire properaverit: (quæ linguæ lubricitas & velocis procacia erat ratio Roman. tempore Jurispr. mediæ & antiquæ viventium, cur donatario ex donatione nudè promissa aut constituta nullum dederint agendi jus.) non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, tantamq; in devotionem quibusdam quasi legitimis velamentis protegere.

**XCVII.** Insuper, pacta dividuntur in rem & in personam, *l. 7. §. pactorum 8. h. t.*

**XCVIII.** Cum ad rem & negotium ipsam paciscens respicit, erit pactum in rem *d. §. 8.*

**XCIX.** In personam verò, cum non tam ad negotium ipsum quam ad personam respectum habet, *d. §. 8. e. g.* si ego creditor paciscar cum debitore, ne petam rem vel condicam debitum, est hic pactum in rem, quando verò ita pactum, non petam à te, quousque vivas, tunc videtur in personam.

**C.** Oportet autem Judicem imprimis ad mentem convenientium, quæ est cynosura in pactis *l. 1. §. cum qui 4. ff. de pec. const.* respicere, sed nec minus ad verba; plerumq; enim (ut & Pedius referente Ulp. in *d. §. 8. ait*) persona pactioni inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est.

D

CL

**CI.** An verò pacta dicantur personalia respectu utriusque partis, an verò saltem intuitu paciscentis, vel eius, cum quo paciscimur, res est, quæ non caret dubio: si dixerimus, quando creditor paciscitur, pactum esse respectu debitoris personale, ubi solummodo creditor de debitore, non simul de debitoris correis, fidejussoribus aut confidejussoribus sensit, haud à veritatis tramite aberrabimus: E contra, si creditor paciscatur, h. m. quousque vivam non exigam, & à parte creditoris personalitas adest. Quin si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit, veluti ne ego petam, vel ne à te petatur, heres meus ab omnibus vobis petitionem habebit, & ab herede tuo omnes petere poterimus. *l. qui in futurum, §. 1. b. t.*

**CII.** Præsupponimus autem, quantum ad agendum, tale pactum in rem, quod etiam alteri dat Jus agendi: si enim per se non validum ad actionem producendam, eò ipso solum robur non consequetur, quod in rem sit.

**CIII.** Præterea pacta ex accidenti alia sunt: clara & perspicua alia obscura & ambigua.

**CIV.** Equidem quæ clara, ex illis quæ sunt ambigua & obscura facile dijudicare licet.

**CV.** Linqvamus clara, utpote per se clara, sineque controversia.

**CVI.** Loqvuntur autem Legistæ, cum gloss. *in l. veteribus 39. b. t. de obscuris & ambiguis*, h. m. Ambiguitas & obscuritas apparet, quando paciscens vel orationem totam & contextum vel dictionem quandam, aut unam vel alteram in diversas sententias trahit, ac is, cum quo pactum, intelligit.

**CVII.** A legibus haut planè aliena est, aut caret suo effectu & illa divisio, quâ Dd. pacta in affirmativa & negativa dividunt.

**CVIII.** Tunc pactum affirmativum fieri statuentes, quum aliquis se ad dandum vel faciendum obstringit.

**CIX.** In negativum autem incidere, quando non facienda emergunt, e. g. non petam, non condicam, non ludam, non bibam vinum, tabacum, non accedam ulterius lupanar, non hanc vel illam ducam in uxorem, non succedam.

**CX.** Omnes hæ species, & si quæ alia, ut pacta pura, conditionalia, in diem, cum modo, ut suas diversissimas virtutes & operati-

rati-

rationes habent; ita etiam tum quoad personas, tum quoad materias, tum quoad modos introducendi, tum quoad modos finiendi discrepant, uti omnibus constat, & ex j. dicendis manifestius fiet

CXI. Nunc de personis, quæ sunt triplicis considerationis; vel enim paciscentes, vel cum quibus paciscimur, vel in quorum gratiam & commodum pactio celebratur.

CXII. Ut sint habiles personæ ad paciscendum superius *ib.* §6. diximus, sed hoc duntaxat de personis, quæ paciscuntur & cum quibus paciscimur, intelligendum; Tertiæ personarum quoad constitutionem pactiois rationem non habemus; non enim tam ad constitutionem, quam ad constituti operationem & capacitatem pertinent.

CXIII. Maximè verò in consensu in idem placitum habilitas in genere cernitur: Est enim pactum duorum vel plurium in idem placitum consensus sive conventio: Qui ergò possunt in idem placitum consentire, illi haud dubiè cæteris paribus pacisci possunt, i. e. si nihil aliud quippiam impediatur vel obstat.

CXIV. De infantibus, furiosis, mente captis, stultis & stolidis res est planissima, quod neque ipsimet per se pacisci, neque cum ipsis pacisci queamus; consensu enim destituuntur, & non intelligunt quid agunt, §. *sed quod diximus 10. j. de inutil. stipulat.* maximè cum cum his non seriò sed simulanter vel vexandi animo pacisci soleamus, *l. obligationum, 3. §. fin. ff. de O. & A.* Nullum tamen dubium, quin pro his tutores & curatores pacta tum publica tum privata, tum conventa, tum nuda, etiam legitima, tum tacita tum expressa, simplicia & stipulata, affirmativa & negativa pro utilitate infantium, tam activè quam passivè, ut ita loquamur, facere possint, *l. contra 28. §. 1. ff. b. r.* Exempla in Romano Imperio sunt adhuc in recenti memoria,

CXV. Respectu infantia proximatorum, si pactum cedat in utilitatem eorum, (prout evenire potest in pactis conventis, vix autem ac ne vix quidem in pactis nudis, nisi ita paciscantur, ne à sepeatur, *d. l. 28. ff. b. r.*) benignior Juris interpretatio facta est, ut idem Juris habeant, quod pubertati proximi *d. §. 10.* Cum ergò pupilli etiam sine tutoris autoritate substantias & fortunas suas pingviores & ampliores reddere possint, nihil quoque his obstat, si absque tutorum autoritate paciscantur, dum modò conditionem suam faciant meliorem; dum itaque pacto sibi

prospiciunt vel ipsis prospicitur, utiq; & agendi & excipiendi jus adversus alios nanciscuntur.

*CXVI.* Eadem quæ de infantibus pronuntiavimus, propter identitatem rationis ad profundè ebrios, qui ignorant, quid agant aut loquantur, extendimus.

*CXVII.* Sunt tamen hîc, quod apprimè notandum, quæstiones non confundendæ: alia enim est quæstio, an quis pacisci possit, & cum quo pacisci possimus de jure naturali vel civili? alia, quid pactum à tali vel tali initû operetur, quæ tamen ut plurimum hîc à *Dd.* confunduntur. Possit infantia proximiorè cum alio & sine tutoris vel cum tutoris autoritate pacisci, & alius vicissim cum ipso pactum inire, propter intellectus & voluntatis sufficientis præsumtionem, diximus, sed quales fructus deinde ejusmodi pactum, producat, alterius est disquisitionis. (Sic si paciscatur pupillus intellectum habens sine tutoris auctoritate, valet quidem pactum, verùm quia contra regulas Juris civilis pupillus non potest damnificari citra voluntatem tutoris, ideò pacta de exolvendo debito ante constitutum diem rata non habentur) Nos hîc saltem de qualitate, habilitate & aptitudine personæ solliciti sumus: Quare plura non addimus, sed hanc generalem tradimus regulam: Omnes cum omnibus pacisci possunt, siue sint homines sui siue alieni Juris, patresfam. siue filii fam., siue liberi, siue servi, siue libertini, siue pagani, siue milites, siue clerici, siue mares siue feminae, siue adventæ siue indigenæ, siue cives siue incolæ, siue Laici siue Politici, siue hæretici, siue Christiani, siue boni siue mali, siue pauperes siue divites, siue ægroti siue sani, siue privati siue publici, siue muti siue surdi, siue cæci, siue præsentis siue absentes, siue per se siue per alium, mediante mandato, si modo non voluntate aut intellectu careant.

*CXVIII.* De materia pactorum hoc statuimus: De omnibus rebus quæ sunt certa & indubia, pactio est licita, siue sint res mobiles siue immobiles siue res corporales siue incorporales, siue universales siue singulares, siue sacrae, siue sanctæ, siue religiosæ, siue publicæ siue privatæ, allodiales siue feudales, geradales, expeditoria, paternæ, maternæ, fraternæ vel quomodocumque acquisitæ, castrenses vel quasi castrenses, absentes æquè ac præsentis, extantes, acquirendæ & acquisitæ, alienæ & propriæ, tam quoad proprietatem plenam, quàm quoad proprietatem nudam vel usufructum nudum, animatæ & inanimatæ, furtivæ, amotæ, raptæ, vel a-

lio

lio quoctunqve modo viciata aut gravata oneratave, criminales & civiles, extraordinaria & populares; semper & ubiqve tamen ceteris paribus & observatis observandis.

CXIX. Excipiunt hinc Dd. judicia publica extraordinaria, quae poenam sanguinis secum non trahunt: Existimant enim taliter laesum non posse pacisci, ne accuset laedentem vel delinquentem: Idque juxta *l. transigere 18. C. de transact. sed d. l. in casu finali* non loquitur de pactione, sed saltem de transactione, nisi argumento à transactione prohibita ad pactionem ducto suam firment opinionem, cum tamen magna adsit differentia; Laesus aut damnificatus per delictum, sive accusavit reum, sive accusaturus, quando paciscitur, reum habet fatentem; e contra quando transigit, reum habet negantem & disputantem: In priori casu, quia res non deferitur ad Magistratum, laesus approbat quodammodo factum delinquentis, & quantum in se delictum occultat, & facit ut impunitum maneat: In altero delinquentem non gratis ut in primo casu, sed accepto aliquò dimittit, quod citra falsitatem fecisse non videtur.

CXX. Neutiquam tamen haec procedunt in delictis privatis, ubi vindicta publica cessat: In illis enim laesus pacisci potest ne agat, puta furti, injuriarum: textus est hinc de re clarissimus in *l. si annus 27. §. pacta e. h. 1.*

CXXI. Sic laesus per violentiam potest pacisci, ne agat ex interdico de vi, quatenus concernit utilitatem privatam, quatenus autem publicam, nullatenus: quia per violentiam turbatur pax non solum domestica, sed & publica.

CXXII. In summa, si pactum conventum (multò magis ergò nudum) à re privata remotum non est servandum, uti hanc regulam generalem facit *l. C. de iud. §. 6.*

CXXIII. Contra publicam utilitatem ergò turpiter illi peccant, qui nondum laesi in antecessum quasi cum laedendis paciscuntur, ne agant furti & injuriarum, si fecerint: Expedi enim & pro salute Imperii est, timere furta & injurias. *d. §. 4.*

CXXIV. Odio plus quam Photiniano non immerito omnes gentes & praepriis Praetores Romani prosequuntur dolosas machinationes hominum, ut passim & in hoc tit. videre est. Quid miri igitur, quod Romani improbant pactum, quo quis paciscitur, ne dolus praestetur, quando *in d. l. 27. §. 4.* inquirunt, nullà pactione sive conventa sive nuda effici potest, ne dolus praestetur.

quantumvis per indirectum fieri possit, dum nimirum deponens  
ita paciscitur, quod nolit depositi depositarium convenire,  
d. l. 27. §. 4.

CXXV. Notabiliter olim dixisse fertur Cato: de tuo largitor puer:  
Justius hæc dicimus; paciscens de tuo paciscere: Melius & liberalius  
facies, si paciscaris in commodum & in utilitatē publicam, & tuam  
utilitatem postponas, quàm si ullo modo in eodem afficias Rem-  
publ., & ne malis hominibus civitas purgetur, efficias. Sed inqvi-  
es, idè neque accusans, neque accusatus neque accusandus in cri-  
minibus publicis non sanguinariis pacisci potest, quod pactum  
remotum à re privata non sit servandum, & paciscens non de suo,  
sed de corio tertii ludere videatur, quare quæso id non etiam in  
criminibus publicis capitalibus statuitur? cum quod in minoribus  
delictis prohibitum, illud multò magis in atrocioribus concessum  
esse non debeat? R. Pacta sunt de genere concessorum & licito-  
rum, & redimere sanguinem suum quocunque modo licet, & hu-  
manitati congruum, non sit ire sanguinem humanum: Quod verò  
offendens & lædens confitens in criminibus publicis sanguinis pœ-  
nam non ingerentibus, quando offensus & læsus suum Jus non  
adeò urget, pacisci non possit, ratio est, quia non tam de jure pri-  
vato & proprio, quàm in necem publici juris paciscitur: In eo in-  
super aliquid dubii residet, an læsus & lædens cum Magistratu pa-  
cisci possit? sed hujus & præcedentis quæstionis declarationem  
& decisionem paulisper hæc vice seponemus & eas in alium lo-  
cum conjiciemus.

CXXVI. Similiter inter se dubio Marte pugnât Dd. in illa quæsti-  
one; num super crimine adulteri licita sit pactio? sed ne nos spine  
pungant, licet possemus chirothecæ loco distinguere, inter mari-  
tum innocentem cum uxore adultera ingenuè confitente pacif-  
centem, ne accuset, & vice versa uxorem innocentem cum mari-  
to adultero ne accuset pacifcentem; aut maritum adulterum  
aut maritam moecham pacifcentem cum innocente conjugē ne  
accusetur, aut magistratum cum adultero & adultera pactum ne  
puniat, aut vice versa adulter adulteravè ne puniantur, ineuntem,  
manum de tabula retrahemus.

CXXVII. In omnibus actionibus humanis ex animo candi-  
do & sincero, sineq; ludo, fallaciis & astutiis, treulich / sonder ge-  
fährd

fāhrd/procedi debere modò diximus: quidni ergo pacta tum nuda  
tum conventa? Bona fides namque ubique locorum regnare &  
præstò esse debet: voluit hoc ipsum Prætor in suo Edicto nomina-  
tim per verba, pacta conventa, quæ neque dolo &c. posita in l. 7. §.  
ait prætor 7. b. r. Quæ de causa quando aliquis ad paciscendum dolo  
alterius inductus, valet quidem de mero jure illud ipsum pactum,  
sed prætor non vult servare: de isto enim dolo, non de dolo inci-  
denti & extrinsecus egit Prætor l. 7. §. dolo malo 9. ff. b. r. l. fraudi 70. de R. J.  
Pacta namque ex spontaneo libentissimoque motu & non ex calli-  
ditate provenire debent. Nihil quidem adjecit Prætor de qualita-  
te & conditione horum pactorum, sed Labeo eleganter addidit;  
Talia pacta esse aut iniqua aut supervacua: Iniqua, quando cre-  
ditor id, quod semel debitori suo bona fide remisit, conetur retra-  
ctare & iterum destruere: supervacua, si deceptus hoc fecerit. l. 7.  
§. sed si. 10. ff. b. r. sive autem dolus malus ab initio inter sive ex post-  
facto supervenit, parum interest. l. 7. §. sine autem 11. b. r. Idem ju-  
diciū esto de justo metu extortis pactis, l. pen. C. de nut. stip. Ut enim  
negotia sine deceptione & fraude peragenda, ita & liberrima &  
spontanea esse debent; Facta tamen & secuta formidine injecta,  
eisque tenent & rata sunt, quousque non à prætore mediante  
restitutione in integrum infringuntur.

CXXVIII. Sicuti autem pacta expressa sine metu procede-  
re debent, ita & pacta tacita: si quis enim coactus solvisset ante  
tempus usuras, utiq; eo ipso sibi facultatem petendi sortem non  
abstulisset.

CXXIX. Timidè nimis ut nonnulli ad paciscendum vel  
non paciscendum compelluntur, ita timidè nimis agunt, qui con-  
tra Leges, SCra Plebiscita, principum constitutiones & Edicta Præ-  
torum pacta faciunt, eaque sub prætextu voluntatis & naturalis  
pudoris defendere cupiunt, quasi, Willkühr/ Landrecht Brauche.

CXXX. Olim qualia pacta populus Romanus vel per Leges  
vel per plebiscita vel per SCra improbaverit, certò asseverare non  
possumus: Quæ verò Prætores & Imperatores exterminavere, eo-  
rum aliquot species in conspectum producemus.

CXXXI. Romani populi salus, ut notum, suprema lex erat; Popu-  
lum igitur pacta, pietatem, honestatem, bonos mores, pacē tum do-  
mesticam, tum publicam, usum commerciorū, cōmune bonum, ci-  
viliz.

vilia jura, turbantia, lædentiā, si non expresse contrariantia, atque  
tacite, improbasse credibile: Bonorum enim morum censors pacis  
& quietis studiosissimi, commerciorum fautores & utilitatis pu-  
blicæ procuratores: sicuti enim omnia negotia tum privata tum  
publica ad normam & regulam trium præceptorum, honestè vive-  
re, alterum non lædere, suum cuique tribuere examinavere, ita ve-  
rissimè ipsos & in pactis hanc adhibuisse amissum, licet Prætores  
postmodum maioris certitudinis ergò Edictis suis expresserint:  
Quis enim vellet existimare, Romanos antiquos agnovisse pacta  
dolo malo inita?

CXXXII. Illud tamen contra Jura civilia fieri dicimus, cum  
aliquid sit contra leges, SCta & Placita principum, si prohibitio  
concernat utilitatem publicam, non familiarem. Sic boni publici  
causâ interdictum esse pupillis sine tutoris autoritate res suas red-  
dere deteriores & diminuerè suas facultates, quia Reip. interest,  
salvas habere res suas pupillos: si ergò contra hanc prohibitio-  
nem paciscitur pupillus, contra Jura pactus videtur, l. 28. ff. h. t.

CXXXIII. In super non solum ipsa pacta, quæ contra Jura,  
nulla servatione digna judicata à prætoribus fuere, sed et si in frau-  
dem illarum legum & jurium aliquid pactum, pactio est reproba-  
ta, d. l. 7. §. ii. b. t.

CXXXIV. Eiusdem farinae & illa sunt, ubi contra Juris prohibi-  
tionem nonnulli paciscuntur, sub pœna mutilationis corporis aut  
abscissionis manus, nasi, bey Schelm schelten/ bey verlust ihres ehr-  
lichen Namens / sie wollen keine redliche vom Adel / keine gebohrne  
von N. mehr seyn: eiusmodi enim res non sunt in nostra potestate  
solum, sed & alii de his aliquid participant l. Jus agnationis 34. ff. b. t.

CXXXV. Consimiliter in Remp. & Jura fiscalia injurii vi-  
dentur esse illi qui cum emptore prædiorum ita paciscuntur, ut em-  
tor onus tributi prædii pignorati non agnoscat, sed ejus solvendi  
necessitas venditorum spectet l. inter 47. ff. b. t. quantumvis inter  
iplos convenientes tale pactum sit per se justissimum, l. epistola,  
52. §. pactum 7. ff. b. t. pactis enim privatorum formam Juris fisca-  
lis convelli non placuit.

CXXXVI. Contra Jura diserta & illud pactum est, quo man-  
datarius paciscitur cum mandante, si quos sumtus prorogaverit,  
illos non cum usuris repetere, ut potest, deberet, sed dimidiâ litis.

CXXXVII. Locuti sumus hætenus de personis, quæ habi-  
lca



les ad paciscendum, & cum quibus & quomodo pacisci possumus: Videbi-  
mus jam paucissimis cui & in cuius commodum pacta fieri debeant: Et  
quia conventiones & obligationes non ideò inventæ, ut aliis aliquid aut  
acquiramus aut noceamus, sed unusquisque sibi prodesse & nocere de-  
bet. Ideò quemadmodum nemo alteri regulariter stipulari aut alte-  
rum obligare potest, §. *si quis 3. & §. nemo 19. f. de inutil. stipul.* ita nemo  
alteri pacisci potest nisi vel re & commodo illius, vel paciscens & cum  
quo paciscimur, interesse aliquid habeat, illudque demonstrare possit.  
Sequuntur nunc operationes & virtutes pactorum constitutorum, quæ  
in sequentibus consistunt.

**CXXXVIII.** Ex l. conventionum 5. b. t. satis constat, quod omnes  
conventiones sint vel privatae vel publicæ, vel Juris gentium vel civiles aut  
Legitimæ, i. e. omnes gentes saniores quasdam approbârunt, aut Roma-  
ni speciatim aut nominatim invenerunt & introduxerunt

**CXXXIX.** Sed & insuper verum est, ex famosissima illa aliquoties  
allegata l. 7. ff. b. t. omnes conventiones Juris gentium esse procreatrices  
vel actionum vel exceptionum.

**CXL.** Item pacta, notissimam illam conventionum speciem, Jus  
gentium pro genitrice agnoscere, supra satis demonstratum.

**CXLI.** Actiones igitur vel exceptiones pacta parere, sequitur.

**CXLII.** Statuunt hic varii varia. Ictus Ulpian. demonstraturus,  
quænam conventiones Juris gentium parerent actiones, has facit regu-  
las I. Quæ pariunt actiones, ex in suo nomine (scilicet generali conven-  
tionum) non stant, sed transeunt in aliud nomen, ubi asterisco notandum,  
Ictum non negativè dicere, quæ transeunt in proprium nomen conven-  
tionis, i. e. quæ habent non appellativum, ex non pariunt actiones; sed  
affirmativè, quæ pariunt actiones, ex non perstant in nomine suo genera-  
li, sed transeunt in proprium, quod fortassis debuisset facere juxta men-  
tem interpretum, qui invertunt quæstionem, & quærunt; quænam con-  
ventiones pariunt actiones & quænam non? existimantes parùm disci-  
minis esse inter hæc quæstiones, cum tamen videant multum distare,  
quando dicimus, mulieres quædam procreant liberos legitimos, quædam  
verò non; atque cum ulterius quærimus, quæ liberos pariunt legitimos,  
ex salutantur cives Romanæ & fecundæ; quæ est aliena, ab illa quæstio-  
ne, an cives Romanæ procreent liberos civiles.

**CXLIII.** Tandem producunt obligationes, non solum conventio-  
nes, quæ nomen proprium habent, ut emtiones, locationes, mandata,  
societates; verum etiam innominati contractus, ubi subsit causa, propter

E

quænam

quam aliquid vel damus vel facimus, i. e. ubi deo convenimus & damus vel facimus aliquid, ut nobis alter vicissim det vel faciat aliquid; Nisi enim alter nobis vicissim obligaretur, nihil quicquam darem vel faceremus aut promitteremus. §. 4. d. l. 7. qui illis valde obstat, qui sibi persuasum habent Pacta nuda & innominatos contractus esse synonyma.

**CXLIV.** Justa tamen causa esse debet, alias reciproca exinde obligatio non nascitur: Sic quando alicui ob hanc causam aliquid dare vel facere promitto, ne maleficium fiat, causa est nimis debilis & illegalis: Est enim ad hoc alias obligatus, & nemo ad pecuniam bonus vel malus esse debet: Oderunt peccare boni virtutis amore.

**CXLV.** Conventiones autem illas, ubi quidem duo pluresve conveniunt, sed sine causa propter quam, saltem ut unus se liberalem erga alterum exhibeat, apud Romanos steriles & infœcundas esse ad obligationem gignendam omnibus notum est & constat d. l. 7. §. 4. b. t.

**CXLVI.** Itaque cum talibus negotiis nobis jam est negotium, & ut supra audivimus, nominantur proprio & specifico nomine pacta nuda.

**CXLVII.** Locum autem ista regula in pactis nudis conventis bonæ fidei contractuum non habet, d. l. 7. §. quin imò s. ibi, interdum ff. b. t. Imprægnant enim ejusmodi pacta actiones ex contractibus & synallagmaticis prodeuntes, & maiorem & ampliorem formam & essentiam iisdem communicant: soliti enim, referente Ulpiano, dicere Romani, pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis j. e. actionibus. Was beyhm contract zugleich auch einseitig mit abgeredet wird / daß einer klagen kan / das stecket in der action, und ist bonæ fidei, nec potest facile separari, & à principali negotio avelli.

**CXLVIII.** In tantum autem insunt bonæ fidei actionibus, & se inquam plurimas formas, ut Sotias apud Plautum transmutant, ut etiam in continenti subsecuta assumant naturam actionis, cui annectuntur aut assuuntur, ita declarante Ulpiano in d. l. 7. §. quin imò s. ff. b. t.

**CXLIX.** Præsupponimus verò talia pacta, quæ per se sunt apta ad producendam actionem: Quod non potest fieri in contractibus negativis sed affirmativis, e. g. si ve enim paciscar in contractu quopiam ne agam, ne faciam, ne petam, ne alter cum quo pepigi, agat, faciat vel petat; talia pacta non sunt aptitudine sua habilia ad gignendas actiones, sed saltem profunt ad excipiendam, & gladium ad defensionem suppeditant. E contra quando affirmativè h. m. paciscor, me daturum, vel facturum aliquid, vel daturum & facturum simul, tunc per se apta sunt ad agendum.

**CL.** Si in rationem hujus rei aliquando diligentius & accuratius

tius inquiramus, deprehendimus Romanos, obligationes ex contractibus, quasi contractibus, delictis, quasi delictis deduxisse, & regulariter conventiones ad quatuor genera factorum retulisse, ubi vel aliquid damus, ut nobis vicissim aliquid reddatur, vel fiat, vel aliquid faciamus, ut nobis aliquid detur vel fiat, aut utrumque. Ubi enim talem commutationem & reciprocationem non animadvertunt, ibi vix obligationes posse nasci crediderunt: Hinc donationes, ubi aliquid damus vel facimus, nihil inde sperantes aut recuperaturi, inter perditiones & quasi delicta retulerunt, *l. filius. 7. ff. de don.* quod nobis aperit continuatio titulorum in ff. juxta quam traditur materia donationis inter materias actionum quasi ex delictis orientium, in lib. 39. cō quod Reip. interfit, ne quis re suā malè utatur.

**CLI.** In mentem autem quid venerit Romanis, quod illud ipsum credere noluerint, sed certò sibi persuaserint, pacta quidem in continentia adjecta informare actiones, ex intervallo autem adjectis eandem vim propter volubilitatem & præcipitantiam lingvæ denegaverint, non possumus satis assequi.

**CLII.** Equidem cum hodie juxta dispositionem Justiniani *in l. 35. C. de donat.* etiā nuda pacta & conventiones acceptata donatario præbeant Jus agendi contra donantem ad traditionem, non absonum erit, si exinde inferamus, etiam hodie pacta ex intervallo interposita alteri dare Jus agendi adversus paciscentem.

**CLIII.** Nolite ergò credere, quod dicitur *in d. l. 7. §. 5. vers. utputa ff. b. t.* post divortium paciscentem, ne tempore statuto dilationis, post annum videlicet, dos reddatur, sed statim post divortium; uxorem non posse hodie ex hoc pacto agere ad exsolutionem dotis pacto anticipatam, licet pactum nudum ex post facto negotio superadditum: falsum quoque erit, quod ibidem defendit Papinianus, quod pactum post emtionem factum non sit ad agendum efficax.

**CLIV.** Scimus quidem, indistinctè pacta negativa producere exceptiones, etiam si ex post facto nudè adjecta, aut aliò quocunq; modo confecta, se veram rationem diversitatis nondum indagavimus: Est aliquid quod Jura sint proniora ad liberandum quam ad obligandum, sed quæ non profunt ad obligandum, ea nec prodesse debent ad liberandum. Erimus ergò hac in re sceptici potius quam didactici, maximè cum omnes fermè Canonistæ & Legistæ unò quasi ore clament, pacta nuda hodie indistinctè producere actiones, quò ipso stante magna pars Juris civilis unò istu corruet, & correctorio signò sive asterisco notanda erit, **Quia, omnia**

37  
pacta sic fient legitima five consuetudinaria, & parient condictionem vel  
ex Jure Canonico vel generali consuetudine.

CLV. Itaque concludenter notamus, nondum nobis, ut finem  
imponamus, persuasum, etiam de Jure Canonico & recepta Germaniae  
consuetudine hodie nudas promissiones, extra causam dotis & donatio-  
nis ante nuptias obligare valide & efficaciter promittentes: quia nondum  
firmiter demonstratum, quod Justinianus etiam nudis promissionibus non  
acceptatis donationum robur indiderit: Videtur nobis in l. si quis 35. C. de  
donat. locutus de donationibus pactis five acceptatis, non nudè sine ac-  
ceptione à donatario factis: Quod an verum, & num imaginem pacto-  
rum Romanorum rectè jam delineavimus, in pugna ex collisione armo-  
rum elucescet clariùs.

---

## SONNET,

sur la These

de

*Monsieur Burgk.*

**D**ourroit on donner fin à dessein si capable,  
Qu'en chantant *Monsieur BURGK*, & loüant son sçavoir,  
Luy qui par son sçavoir nous fait doctement voir,  
Que son nom à jamais se verra memorable,  
Heureux l'esprit à qui la Muse est favorable!

Bien-heureux qui des cieus peut tel don recevoir!

La mort fait perir tout, car elle a ce pouvoir,

Et rien que la vertu ne peut estre durable.

Nostre vie, mon *BURGK*, nous ameine au trespas,

Mais souvent nostre mort fait conduire nos pas

A la vie immortelle en despit de l'envie :

Qui t'estime mortel il se fait un grand tort,

Car encor que la mort ait pouvoir sur la vie,

Ta vie aura tousjours pouvoir dessus la mort.


Posè

par

*Chrestien Bolenius à Belde*

*Ostfrise.*





ULB Halle  
006 682 278

3




V017









JURIDICA *XXII.*  
*391.*

ROMANIS *AA*

*1653, 3*  
tiâ Divinâ  
missu  
gens Nobilissimæ

*Excelsentissimiq̃*

**Hers/ Ph. & J.**

Saxonix, Judicii Ap-  
nistorii Ecclesiastici  
vincialis superioris  
rioris Lusatix  
lica Facul-

**S Burge**

eranus  
ita nepos,  
mbr.  
II.

Bauchel

*Pleraq̃ huius disputationis in Lematibz*

